Liber de arte
memorie.

# Incipit ars memorie venerabilis Baldouini Sobodienſis medice artis doctoris eximii.

Ars cōmoda nature cōfirmat et auget: vt īquit egregius Tulli⁹ in.iii.rheto. Huius experientiā hēmus
q̄maxime in arte medicatoria: ſecundum quam miniſter ſalutiſ conatur pro poſſe ſuperflua nature expellere: et defectus eiuſdem reſtaurare. Que ſiquidem ars
minime foret inuenta: ſi natura auxilio non egeret. Verum q2 aīa
noſtra naſcitur defectuoſe in tribus ſuis potentiis clariorib⁹.ſ.memoria intellectu et voluntate: non tamen dico defectuoſa ſic q̄ aīa
noſtra in principio ſue creationis nō hēat omnes potentias ſibi cōcreatas: ſed dico defectuoſa: q2 per has potentias aīa noſtra in principio natiuitatis noſtre nequaq̄ poteſt ſuos exercere actus. Non
igitur eſt parum vtilis artificioſa memoria: que commoda nature
amplificat ratione doctrine. Huius quippe artis multi fuerunt inuentores: īter quos quidam minus occulte: alii minus confuſe eā
tradiderunt. Sed ego zelo ſapientie dilatande: hanc artem compendioſis et vtilibus verbis tractare cōabor: hoc opuſculum diuidendo per.ix.cap. In quorum primo oſtendentur breuiter que ſunt īſtrumenta quibus vtendum eſt in hac arte. In ſecundo tradetur ars
memorandi terminos ſubſtantiales. In tertio tractabitur ars memorandi terminos accidentales. In quarto tradetur ars memorādi propoſitiones auctoritates: et generaliter q̄ſcumq3 orationes ſimplices. In quinto tradetur ars memorandi ſermones et collatiōes
et quaſcūq3 prolixas hyſtorias. In ſexto tradetur ars memorandi
argumenta et quaſcūq3 orationes ſiue propoſitiones ſillogiſticas.
In ſeptimo tradetur ars memorādi verſus. In octauo docetur ars
memorandi dictiones ignotas: puta grecas vel hebraycas vel ſincategoreumaticas et alias dictiones latinas non vſitatas. In nono et vltimo dabuntur ſecreta huius artis.

Sedibus humanis trita ſtans filia celſis

Inexculta cibo mens graue tenet in aluo
Sed ſi concipiat ſemen area volutum
In varias formas parit ſimilia monſtro.
Qui igitur volet perfectã gignere prolem
Promptã facetam natam in ordine mẽbri
De multis tractũ ſubiectũ ſorbeat hauſtũ

## Capitulum primum.

Pro expeditione artis mẽorie p̄notandũ eſt: ꝙ intentio nr̃a p̄ricipalis in hac arte ẽ librũ mẽtalẽ cõponere: q̄q̄dez ſe hẽt iſtar libri artificialis. nã ſicut in libro artificiali duo ſuffi-ciunt inſtrumẽta. ſ. carta et ſcripura: ita et nõ aliter in hoc libro mẽtali: quẽ p hanc artẽ intendunꝰ cõponere duo exigũtur iſtrumenta dũtaxat. ſ. loca et rerũ ſimilitudĩes. Unde egregiꝰ Tul. in ſi. rheto. Loca inquit tarte ſimilia ſunt. ymagines vero et rerũ ſimilitudĩeſ litteris. Diſpoſitio autez imaginum in locis lectioni cõpatur. Ve-rum q2 loca in hac arte variis modis ſumi poſſunt: ad preſens ſuf-ficit tres modos notare. Primus eſt ſecundum egregium Tulliuz accipiendo domuz realem vel imaginariam in qua notentur diuer-ſa ſigna in angulis eiuſdem contenta: ſed hic modus eſt ſatis groſ-ſus. Preterea ſunt alii duo modi notabiles: quorum primus eſt ac-cipiendo diuerſa animalia quorum membra organica poterunt eſſe loca in hac parte. Alius eſt modus egregius ſeruando ordinem ce-li et terre: vel etiam menſe. Certum eſt tamen ꝙ de nouo incipienti-bus practicare hanc artem: bonum eſt aliquãdiu morez Tullii imi-tari: v̄t a facilioribus et cognoſcibilioribꝰ ad difficilia faciliter trã-ſitus fiat.

Tipica fortificat pollinnia vallis locoruz
Hecq3 per ambages deſerti querere noli
Inuiſaq3 ſpernit fugit grauiſſima q̄q3
Nũc v̄o plꝰ placuit medios hũiſſe penateſ

Incultus notus diuerſos voto placentes
In quoꝝ coſtis ſignantur ordine quino
Que fixa maneant ſigna diſtātia tractu.

## Capitulum ſecundum.

SI vis memorari terminos ſubſtantiales . Scire debes ꝙ tales ſunt duplices. q̄dā ſunt ꝓprii et q̄dā cōes. ſi ergo vis memorari terminos cōmunes accipe ꝓ quolꝫ tali ſimilitudinē in demōſtratiōe loci aliquid mirabile iocoſum ridiculoſuꝫ agētez vel patiētē: et memēto illā in ſuo loco collocare ꝓpoſita doctrina de locis. et notāter dicitur mirabile agētē vel patiētez: q꜠ q̄ꝫto mirabilior erit actio vel paſſio : tāto diuturnior ē mēoria. ī ꝓpriis āt noibꝫ nō ſic: q꜠ multorū hoīm ſimilitudo cōis ē vna. ſit ergo aliter vt ꝓ quolꝫ tali noīe ꝓprio accipias hoīem tibi notū magis rōe laudis vitupii vel cōuerſationis q̄ tali nuncupetur nomine. Et horum omnium doctrina eſt practica.

Aſia poſt rerum recte ponatur in iſtis
Cū voles hāc diſce viā que plana patebit.
Subiectis ꝓpriis ꝓprias ē dare figuras.
Cōmunes aliis cythara vocetur apollo.

## Capitulum tertium.

SI vis mēorari terminos accidētales: q꜠ accidēs nō hēt eſſe per ſe ſed totū eſſe ſuū depēdet a ſubſtātia vt inq̄t ariſtoteles ſeptimo metha: Sufficiat pro quolꝫ accidente accipere ſubiectū in quo eſt ꝑ excellentiā. Ratio aūt huiꝰ eſt: q꜠ mēorato tali ſubiecto difficile ē ꝓpriū ignorare. Et nota hic aliq̄s regulas notabiles ī ꝓpoſito. pria ē ꝙ oē nomē ſignificās ſubſtātiā ſi q̄ ē aliquod accidēs ꝑ excellentiā ſignificat duo ſcꝫ ſbām prīo: et accidēs ꝑ poſteriꝰ et ſcdario. Inde ē ꝙ lupꝰ ſignificat aīal et ferocitatē. Lepus aūt aīal et timiditatez. monialis feīam et caſtitatē. philomena auem et cātorē. Scdā regula ē ꝙ oē tale nomen vt ī pluribus ꝑ ſcdō ſignifica topōt cōparari etiā ſi fuerit nomen ꝓpriū vel appellatiuum.

exemplū ī ꝓpriis vt. Qui ſedet hac ſede ganimedior ē ganimede. exēplū ī appellatiis: vt in laborintho. Tigride tigridior furit vrſi or vrſa fera leſa. Tertia regla eſt ꝙ a tali noīe ꝑ ſecundū ſignificato vt in pluribꝰ deſcendit nomē adiectiuū vel verbū: vt de roſa venit roſeus a. um. et roſare quod ē rubeū facere. Quarta regula et principalis in ꝓpoſito ē: ꝙ ad mēorandū dictiones deriuatiuas ſiue tales ſint noīales ſiue verbales ſiue participiales: ſufficit hēre in oībus memoriā primitiui. Rō autem eſt: quia deriuatiuū ſapit naturam primitiui et virtualiter includitur in eodem.

Quod pēdet fixū de ſe vult carpere plenū
Si varias vno ꝑfers multis ve licebit
In deriuatis ſua que ſit origo notabis
Cā vel oppoſitū ſimul īſtrumēta vel vſus
Et ſimiles faciunt te meminiſſe rei.

## Capitulum quartum.

Si vis memorari ꝓpoſitiones autātes et qūcūqꝫ orationes ſimplices: ſufficit ꝑ quāꝫ accipe obiectū pīcipale: et illud ī ſuo loco collocare: quod facile ē videre ī practica. Rō aūt hꝰ capituli ē: qꝛ ſignum et ſignatum correlatiue ſe habent.

Cōplexum ſi vis obiectū indicat illud.

## Quintum capitulum.

Si vis mēorari ſermōes et qūcūqꝫ hyſtorias ꝓlixas diuide tales ꝑ ſuas ꝑtes pīcipales: et rurſus q̄ꝫlꝫ ꝑ ſuas ꝑtes donec veneris ad q̄ꝫlꝫ clauſulā: quo facto opare vt priꝰ dictū ē ī cap. pcedēti de ꝓpoſitōibꝰ. Rō aūt hꝰ capituli ē: qꝛ diuiſio valet ad tria.

Ut pleriqꝫ volunt tribus diuiſio valet
Legētis aīmū citat mentē quoqꝫ probat
Intelligentis memoriam roborat atqꝫ

## Capitulum ſextum.

SI vis mēorari argumenta et q̄ſcūqꝫ rōes ſillogiſticas ſufficit ꝑ quolꝫ habere mēoriā medii. Rō aūt eſt: q2 dicit phūs in priorib⁹. Mediū eſt tota vis ſillogiſmi. ſꝫ q2 difficile ē mediuꝫ inuenire ſecundū doctrinā quā tradidit Ariſto. in fine primi priorū ꝑ has dictiones. fecana cageti etc. Sciendū ꝙ mediū i propoſito nihil aliud ē ꝙ cā concluſiōis: ſiue talis fuerit complexa vel incomplexa. Rō aūt quare mēoria talis cauſe dat mēoriā toti⁹ argumētatōis ē: quoniā ignorata tali cā oꝫ neceſſario ignorare effectū: ita cognita et mēorata cā: oꝫ effectum et concluſionē mēorari.

**Qui neſcit cauſas nil ſit veri: quia nulla**
**Res eſt nota ſatis cuius origo latet.**

## Capitulum ſeptimum.

SI vis mēorari verſus hoc fieri poterit altero duorū modorum. Primo ꝑ viā ſnie extrahendo. ſ. a quolꝫ verſu ſniaꝫ memori mō quo fieri pōt: et illam in ſuo loco collocando ſecūdū doctrinā ſupius traditā i. iiii. ca. de propoſitionib⁹. Secundo mō fit hoc ideꝫ accipiendo duas vel tres dictiones principales verſus: et cū illis legendo vel repetendo verſum bis vel ter. ſic eiꝫ ars nō parum iuuabit naturam. Rō autem huius capituli eſt: quia metruꝫ ex ſui natura et conditione valet ad tria.

**Metra iuuāt aīos cōprēdūt pluria paucis**
**Priſtina commēorāt q̄ ſūt tria grata legēti**

## Capitulum octauum.

SI vis mēorari dictiones ignotas: puta grecas vel hebraicas vel ēt latias nobis inuſitatas: hoc rite fieri poterit altero duorū modorū. Primo per viā ſimilitudis. Secundo ꝑ viā diuiſiōis ſyllabarū. ꝑ viā quidē ſimilitudinis fit: vt pro q̄libet dictione ignota accipiam⁹ dictionē nobis notā habentē aliquā ſimilitudinem cuꝫ illa. Sꝫ per viam diuiſionis ſyllabarū fit diuidendo. ſ. talem dictionē ignotam per ſuas ſyllabas: et accipiendo ꝑ qualibet ſyllaba dictionem tibi notam ab ea incipientem. Exēpla practicanti ſunt facilia.

Barbaricũ nomẽ duplex diſtictõ mõſtrat
Aut ſumas appens ꝑ partes diuide totũ.

## ¶ Capitulum nonum.

PRo expeditiõe toti⁹ artis mẽorie ſciẽdũ eſt: ꝙ ſctũs Tho. ſcdã ſecũde q̃ſtiõe .xlix. articulo .i. in reſpõſiõe ad ſecũdũ argumẽtũ põit q̃ttuoꝛ documẽta q̃b⁹ pficiũ⁹ ĩ bene memorando ſic ĩq̃ens. Sicut prudẽtia aptitudiẽ q̃dã hẽt ex natura ſed eius cõplemẽtum ex exercitio vel grã: ſicut tulli⁹ dicit in ſua rhetorica. Mẽoria non ſolum a natura pficiſcitur: ſꝫ ẽt hẽt plurimum artis et induſtrie: quorũ primũ eſt: vt eorũ que vult mẽorari quaſdã ſimilitudines aſſumat cõuenientes: nec tamẽ oĩo conſuetas: qꝛ ea que ſunt ĩconſueta magis miramur: et ſic in eis aĩus magis et vehemẽti⁹ detinetur: ex quo fit ꝙ eorũ que in puericia vidĩus magis mẽoremur. Ideo aũt neceſſaria ẽ hmõi ſimilitudinũ vel imaginũ adinuentio: qꝛ intentiones ſimplices et ſpũales facili⁹ ex aĩo elabuntur: niſi q̃buſdã ſimilitudinib⁹ corporalib⁹ quaſi alligentur: qꝛ hũana cognitio potentioꝛ eſt circa ſenſibilia. Vnde mẽoratiua ponitur in pte ſenſitiua. Secũdo oportet vt hõ ea q̃ mẽoriter vult tenere ſua cõſideratione ordinate diſponat: vt ex vno facile ad aliud pcedatur. Vnde phũs dicit in libro de mẽoria. A locis videntur reminiſci aliquãdo. cã aũt: qꝛ velociter ab alio in aliud veniunt. Tertio oꝫ vt hõ ſollicitudinẽ apponat: et affectũ adhibeat ad ea q̃ vult mẽorari. Rõ eſt: qꝛ quo aliquid magis fuerit ĩpreſſum aĩo: eo min⁹ elabitur. Vnde et tulli⁹ dicit in ſua rhetorica: ꝙ ſolicitudo cõſeruat integras ſimulachrorũ figuras. Quarto oꝫ vt ea frequenter meditemur q̃ volum⁹ mẽorari. Vnde phũs .d. in li. de mẽoria: ꝙ meditationes mẽoriã ſaluant: qꝛ vt in eodẽ li. dicitur. Conſuetudo ẽ quaſi natura. Vnde q̃ multotiens intelligĩus cito remĩſcimur: quaſi naturali quodaꝫ ordine ab vno ad aliud pcedentes. ſꝫ qꝛ tota difficultas artis memorie conſiſtit in difficili locorũ acceptione ac etiaꝫ in oneroſa ymaginum collatiõe notanda ſunt duo ꝓ ſecreto h⁹ artis. Prĩo pro facili locorum acceptione: ꝙ ꝑfectio h⁹ artis ex pte locorũ conſiſtit in .c. locis familiarib⁹ q̃ facile poterunt hẽri altero horum modorũ. Prĩus ẽ accipiendo .xx. figuras forma et figura diſtictas

ita ꝙ in qualꝫ accipiantur quinqꝫ loca naturaliter ordinata ſecun
dum membra organica earundem. Intelligitur tamē ꝙ bonum eſt
accipere iſtas .xx. figuras ſecundum ordinem alphabeti: ita ꝙ ꝑ .a.
accipiamus arietem. ꝑ .b. bouem. per .c. canem. ꝑ .d. dromedarium.
per .e. equum. per .f. fenicem. per .g. grifonem. ꝑ .h. hircum. ꝑ .i. idolū:
ꝑ .k. katherinam ſanctam. per .l. leonē. ꝑ .m. monachum. ꝑ .n. nucē
q̄ eſt arbor. ꝑ .o. ouem. ꝑ .p. paſtorem. ꝑ .q. quercū. ꝑ .r. regem. ꝑ .ſ. ſer-
pentem. per .t. turrim. ꝑ .v. vas vini. Secundo poteſt hoc idem fieri
faciliter accipiendo decem domos nobis familiariſſimas .i. a nobis
optime frequentatas: ita ꝙ in qualꝫ accipiamus decem loca dun-
taxat. ſic enim ꝑ multiplicationē hēbimus .c. loca familiaria. Se
cundo nota pro parte imaginaria: ꝙ optimum eſt in hac arte ſeruare
colligantiam ſimilitudinum. Talis aūt colligantia duplex eſt. que
dam naturalis vt cum naturaliter vnum ſequitur ad aliud vel al
teri colligatur. Alia eſt artificialis vt cum ſecundum conſideratōꝫ
noſtram vna ſimilitudo ſe exercitat cum alia. Aduertendum ē ta-
men ſecundum egregium tullium in .iii. rhetorices infirmam eſſe
artis preceptionem: niſi diligentia et exercitio comprobetur.

Doctrie pater eſt vſus doctrina ſcholaris
Interciſa perit continuata viget.

¶ Ars memorie Baldwini Sobordienſis
medice artis doctoris eximii explicit.

Si cupis eē meōr bis q̄ttuor accipe claues
Eſto vacās mitis ſis ſobri⁹ atqꝫ benignus
Ordo ſit ⁊ nūerus tibi cōſtituatur ymago
Et quod cōcepit tua mēs meditarꝰ freq̄nter

# Jacobi Publicii in arte memo-
# rie prologus feliciter incipit.

Haud ab re fore arbitror: ſi preter maiorũ conſuetudi/
nẽ q̄ plurimis ſeculis e mortaliũ vſu exceſſere ĩ medi
um nunc ſuccĩqꝫ referã. Nã ſi mẽtis acies aĩqꝫ vis
his terrenis artubꝰ deſtituta: intellectꝰ admodũ vo/
luntatis et mẽorie lumĩe claruerit: hac tamẽ corpea
mole cõtagione et obſcuro carcere merſa: bonis prece
ptis: mediceqꝫ artis adminiculis indigẽs eſt: Vt quod caduci fragi/
liſqꝫ corpuſculi adiunctione lumĩs ei ademptũ eſt: his preceptis et
exercitatõe: conſueta luce priſtinoqꝫ iubare longe lateqꝫ ſplẽdeſcat
Non eĩꝫ ſibi ſolum ornamẽto: verũ preclaris ſtudiis et bonis ar/
tibꝫ honeſtamento ſplendori et decori eſſe poterit. Hanc nãqꝫ facul/
tatum oĩꝫ et artiũ diuĩo humanoqꝫ ſtudio dignarũ cõem vti paren
tem et fidiſſimã ſeruatricẽ diuini et hũani ingenii argumentũꝫ et
gloriam ac muſarũ matrem vates noſtri dixere: cuius ſagacitate
motu et celeritate q̄ cuncta ãbit ſentit et mouet: diuine mentis vĩꝫ
intueri: admirari et venerari licet. Que ſumma nos caritate com/
plexa elingues mutoſqꝫ: vt ſabinium caluenũ: diſertas eloquen/
teſqꝫ red dat: ignarũ tardum ĩmemorẽqꝫ bene memorẽ efficit. Que
a natura q̄ volunt vt Themiſtodi dineqꝫ mentis zenoni meminiſſe
datum eſt: artis exercitium: et tardis mẽorie precepta fiducia: ordi
ne: facilitate: tenacitate et rerũ copia cõparuerit. Quo perbeati illi
eſſe videntur: qui ſummo ingenio prediti non ſuis mõ ſed minoribꝰ
et poſteris et memoriam et deſiderium ſui reliquerunt. Quid enim
preclarius: quid gloria: quid laude: quid admiratione dignius: q̄p
cetera aĩantia nature benignitate rõe anteire: hoĩes non mõ mor
tales: ſed naturam ipſam mentis et memorie vi excellere. Ceterũꝫ
cum omnis huius preclariſſime vel potius diuine artis fructus ĩ
ordinis diſpoſitione reconditos non ignoramus: dabius opam vt
pbreui et q̄p abſolutiſſime de ipſo dicamus. Nã et Symonidẽ poe
tã huiuſce rei auctorẽ diſpoſitõe et ordine memorie rationem princi
pio excogitaſſe compertum ẽ: cum apud ſcopam eum ĩ cõuiuio diſ/

cumbentez duo egregie forme iuuenes accitent. Quorū tandez euocatione defatigat⁹ dū ad fores Genialis domus: uti rat⁹ erat non inueniſſet eos: oī urbe vagus quereret: conuiuii interea dom⁹ in ruinā verſa miſerāda conuiuas clade oppreſſit: quos cū affines ſepulchro mandare vellent: nec eos miſerando mortis genere ruina et molibus attritos recognoſcerent: diuin⁹ ille Symonides quē q̄ſqꝫ diſpoſitione et ordine locū ſortit⁹ fuerat tacite voluens: caros penit⁹ liberos dulceſqꝫ coniugib⁹ viros et matrū āplexib⁹ ac lachrymis natos reſtituit. Cui⁹ exēplo illecti: nos quoqꝫ ab ordine initiū dicendi ſumpſimus.

## De ordine.

ORdo eſt recta rerum diſpoſitio qua ſingula ſuum obtinent locum.

## De preceptione.

PReceptio recta agendi rō ē: qua nature cōmoda cōfirmata et īgenii bona adaucta lōge lateqꝫ diluceſcent: hic ne ut quid temere adiiciam⁹ neu qd̄ ꝑ iniuriā omittam⁹: ſeruādū eſt: quos effugere qui volet h⁹ artis obſeruantiſſim⁹ et preceptorū curioſiſſimus indagator et ſeruator erit.

## De qualitate locorū.

QUalitas eſt conditio certa locis inſcripta: ut mediocri luce mediocriqꝫ diſtantia firma imaginū capacia ac ſolo ī loco ſita re aut noīe imaginū rōi conſentanea exactiſſime cogitentur. Adit⁹.n.et redit⁹ ꝑuagatio et frequens hoīuꝫ conculcatō cogitationē nrām deludit. Extrema imagīatiue virtuti obeſſe oculorū et auriū argumento cōptū eſt. Littere nimiū conculcate et ſyllabe nimiū expreſſe vel cōpreſſe labore nimio ſenſus mētēqꝫ affligunt. Medio igitur mō ac modeſtia ingenia excitentur: ne nimium dilatata fuſa ac vaga īcerta et ignara mēs noſtra fluctuet. A meridie igitur in ſeptentrionem verſa a decem in viginti paſſuum diſtantia opaca ſtabilia deſerto in loco quinqꝫ pedum ambitu contenta ſint.

## Ratio inueniendorum locorū.

Comparandorum locorum triplex eſt rō. nam aut natura cōſtituuntur: aut cuiuſqꝫ ingenio excogitantur: vel his cōpoſita conficiuntur. Natura conſtituta dicuntur que nō ingenio excogitata nec commentatione noſtra efficta videntur. Ingenio cōparantur: que noſtra ſagacitate ſimulantur. Mixta dicūtur que tamen natura et manu hominum: tū calliditate noſtra cōſtituūtur: quod et expediens et conducibile magis atqꝫ magis eē arbitramur. Omnia etenim a natura conſtituta reperire impoſſibile eſt: et fictis omnibus vti durum periculoſiſſimum duco.

## De diſſimilitudine locorum.

Locorum ſimilitudo morte magis euitanda eſt. Nam vti ea compoſitum: ita hec coniunctum reſoluit. Vile hominem facit: menteꝫ animūqꝫ memorie imbecillitate humi deicit: tarditate et infamia aut ſempiterna aut certe diuturna nos īficit. Quas ob res colore opere altitudine figura ac diuerſa materia euitare poterimus. Vel ſi non locis optatis et arte comparatis: lapidibus ſaltem arboribus tumulis aris monumentis bireuib⁹ aſtris inſulis nauibus ac proclinis pontibus varie effingentur.

## De multitudine locorum.

Reliquū iā eſſe videtur vt locorū legib⁹ expoſitis īfinita pene nobis loca ordine qualitate luce diſtātia mediocriqꝫ ſpacio deſerto in loco ſtabilia ac diſſimilia excogitem⁹: vt ſiqͦd e memoria haud excidere: ſꝫ diu impreſſum tenaciter inherere velimus: et alia item et memorie commendare ſtudemus diuerſis ī locis aſſignamus. Eſt enim tum piculoſum tum ridiculoſum duos eadem in re coheredes inſolidū conſtruere. Que qui ſine labore multiplicare voluerit quadrati normaꝫ: de quo ſecundo volumine agēdum eſt: ſequetur. Centum etiam conficta aīalia lrārum et alphabeti ordine exquiret: ac vniciqꝫ figure quinqꝫ maxia et diſſormia animalia accommodabit: vel res aliquas animalibus commiſcere poterit: vt diuerſitate hac firmius memorie impreſſa inhereant: ī quibus pro eorum magnitudine plurimas ac diuerſas imaginū ſedes pro ſententia ſtatuere poterimus.

## De impreſſione loci.

LOcos arte comparatos diuturna meditatiōe et iugi exer/
citio mēorie adeo ĩprimem⁹: Ut non aliter tenere colligere et
mēoriter reddere: q̄ȝ que notiſſima ſunt poſſimus. Diſtra/
hitur eñi memoria atqȝ omnis animi uis effeminatur: ſi in colli/
gendis imaginibus ordine aut loco dūtaxat uno aberrauerim⁹.

## De corroboratione memorie.

AD eam aūt ſummopere muniendam et uehementiſſimū
laborem diffidentiam uel deſperationem potius propulſan/
dam: non omnes inſimul: ſed carptim diſpoſitas imagīes
et ordine quinario numero diſtincta loca ordine et numero imagi/
nibus complebimus. Unāquēqȝ uero quinquies nobiſcū reuol/
uemus: mox omnia inſimul tacite repetemus. Nouiſſime quina/
rii progreſſu omni metu abacto memoriter reddem⁹. Reficitur eñi
memoria et laboris pars maxima detrahitur: ſi non uno ſpiritu lo/
cis mandata indiſtincte explicabimus: ſed ueluti aſperrima iuga
arduoſqȝ ſaltus ſuperantes: aut molles imbelleſqȝ etate pueros ĩ/
ſcriptis lapidibus ſpaciis: muneribus blandiciis ac breuis itine/
ris exactū ſpacium reſpicientes menteqȝ adeo his affirmabim⁹:
Ut nec ab ordine nec ab re cadere perſuaſum nobis habeamus.

## De abolitione.

DE diuturno iugiqȝ labore locorū indagine nouorum men/
tē animūqȝ conficiamus. confertas iam notis noua rerū
adiunctione confundemus: Ut inde memorie hinc obliuioni
ſuccurrere poſſimus. temporū interdum curriculis priora queqȝ ob/
ſcurari debilitari et refrigi ſinem⁹. Aut ueluti e ſedib⁹ pcella et ad/
uerſa tēpeſtate eiecta: uacuas iam domos factas mētē inducem⁹.

## De notatione.

LOcorum nota duplex eſt. locorum altera. altera rerum. nu/
meri ſignū dicitur numerus quinto quoqȝ inſcriptus. et
hic aut arithmetice figura: aut reali notatur. Falx quippe
manus aut pes quintum. Crux decimum: geminata uigeſimum ſi/
gnificabit. Uerū Hermipus loca ſingula notāda cōmemorat: Ut
ad eum cū ueneris rē locū et loci numerū teneas. nec tantū re: ue/

rumetiam mmneto cōnumerato memoriam facilius exercere valeamus. Albertus decimum. Fabius Quintilianus et Marcꝰ Cicero quintū quandoqꝫ notandū cōmemorat. Rerū nota dicitur rerū additio locis inserta. Cū eīꝫ supiorībꝰ legibus locus carebit: ne mētez tardā efficiat: re aliq̄ minuetur. Si eīꝫ vastus nobilis aut nimiū lucidꝰ videbitur: exedra clauo et testudine confirmabimus.

## De artis nature exercitio et ratione.

QUoꝫ vsus et cōsuetudo doctrine et artis magistra dicatur: de ea iam dicendum censuimꝰ. Infirma est eīꝫ hec artis preceptio: nisi industria vigilantia et exercitatione cōprobetur Est aūt exercitatio assiduus vsus cōtinuaqꝫ memorandi cōsuetudo. Ea est duplex. nature. s. et artis. nature vis non locis sꝫ signis nōnunq̄ vtitur. Artis opꝰ locis cōpositis et imagībꝰ innititur. Hec demptis locis itidem tractantur. Cū eīꝫ meminisse cupis bis cursim lectitando textum pcurres: ordinem deinde ipsum seruemus. Sententiam cuiusqꝫ membri mox indagabimus. Nouissime omnes sentētias vna complexi mediocri sono et murmure vocis adaucto mēorie: et locis facile cōmendabimꝰ: si q̄ de mēorie corroboratione p̄cepta sunt seruabimꝰ. Loca diuturna meditatione nobiscū exactissime repetemꝰ. Signa et imagines si memorie celeritatem nomen et tenacitatem cupimus: litterarum ordine conscribemus. Ceterū siquando res locis cōmendate mēoriam nostrā subterfugient: vel in obseruātia preceptorū vel naturalis mēoria aduersā valitudīe et īpotentia nobis accidere explorati ssimūꝫ et certissimū h̄eamus.

Impossibile quippe est huius artis obseruatissimi memoriam falli.

## Que conferunt et que obsunt memorie.

GAbinus ptatensis qui Hipocratis libros commentatus ē mentis et memorie sedem tripliciter distinxit. Inter pupim enim et proram pineaꝫ mediam fecit: ꝙ cum memoria q̄ppiam repetere instamus patefacta a prora ad pupim spiritui aīali aditum prestat. Hinc Proculum medice artis professorem dixisse cōmemorant ventriculum pupis nobiliorem. Nunq̄ eīꝫ ad eum aīalis spiritus nisi serenus lucidus et clarꝰ ptransit. Hic frigidita

te immodica obtuſus memoriam noſtram hebetem et languidam
reddit: frigiditatem vero humiditatē vel ſiccitatē ſibi aſſiſtere ple
rūqꝫ videmus. Simplex frigiditas vel cū humiditate cōiuncta
letargum cū ſiccitate inſomnia et vigilias īmodicas vt in pueris
et ſenib⁊ parit. Hinc diuus ille Plato ſenectutē letargie matrē ap
pellat. Ariſtarcus pueros et ſenes facile in morbos obliuionem et
mortē delabi cōmemorat: ad q̄ propulſanda hec humane ſaluti con
ferentia excogitarunt exercitium. ſ. balneum: potū: cibū: coitū et mo
deratū ſomnū. Spūs. n. et naturalis calor ſegnitie ſecordia et tur
pi ocio cum ſoſpiti exercitio ante cibū ſenſus reuocandi et excitādi
ſunt. Balneis cibo et potu ab exercitio remittēdi et relaxandi ſunt.
Triſticia nonnūꝗ̄ voluptate propulſanda et coitu leticia reuocan
da ē. Inſomnia et inmodicus ſomn⁊ nocturno moderatoqꝫ ſopore re
leuenda ſunt. Meridianus aūt ſomn⁊: non conſuet⁊ preſertim: euitā
dus eſt. ꝙ ſi diuturna cōſuetudine dormiendum exiſtimabis: pedi/
bus corio nudis ſomnum capies. Membris enī ſopore et alto ſom
no ſolutis: ad oculos et cerebrum nocuos ꝑdum vapores corii den
ſitas reflectit. Caput mediocriter ꝓ tp̄is rōe pannis contectū ſer
uabis. Vt eīz īmenſa frigiditas: ſic immodica caliditas mentem
ſtupore obtundit. Reſupinam dormitionez renes ſupra bonū lectū
calefacientem vt noſtre mentis infeſtiſſimam hoſtē vitabim⁊. Ea
enim muliebri aīo gratiſſima nocturniſqꝫ eluſionib⁊ et pollutioni/
bus apta in latus faciemqꝫ viros quietem carpere admonet. An
te lucem ſurgere: et phīe et ſanitati conferre Stagirites phūs au
ctor eſt. Loco tamen et tempori inſeruiendum eſſe Socrates edocet
phiſiceqꝫ et medice artis profeſſores teſtantur. Celi igitur regione
infecta: ſolis conſpectum cubantes operiri preſtabit. Cū vero niue
concreta aqua et cana pruina terra obducta erit: frigiditatez omnē
a nobis propulſandam veluti letargii et memorie p̄ſtem meminē/
rimus. Haud procul igitur ab igne rerum calidarum et odorifera
rum corpora amicientur: vel in precluſa cellula ab aere et vento ſe/
cluſa nos continebimus. Meatus omnes corporis purgabimus.
Spiritus et ſenſus ex ſcreatu et motu excitabimus. Eburneo in/
de pectine preduro aſperoqꝫ panno caput confricabimus. tum ma/
nibus et facie lotis ſex vuas paſſas aut totidem iuniꝑi baccas

degustabimus. tum demum leui exercitio naturali calore excitato
ſine iantaculo tēpeſtiuo prandio maturabimus. Cuius p̄io ad ſto
machuꝫ mundanduꝫ appetitūqꝫ excitandum rebꝰ ſubacetoſis ſiue
dulcibꝰ vtemur. Leuiora primo vina vel aqua mixta apponātur:
ne vene hiantes vini vehementia ſanguinem expirant. Cibariis
calidis et ſiccis hoc ordine vtendū eſt: vt elixis excēpta fame aſſa-
tis prandio: ꝑter hyſpanorū conſuetudinem: finē faciamꝰ. rebꝰ na
turaliter vel artificio ſtipticis os ſtomachi claudemus: ne fumoſi-
tas e ſtomacho cibi ebulitione euapoꝛans: mentem et ingenium ob
ſcurans ſomnū excitet. Natura vero ſtipica: mala cotaniū: pirū:
neſpulum: ſoꝛbe: artificio nuces auellane: pinee: carote: aſſateqꝫ ca
ſtanee: ficus et baucie: et preparatum coriandrum dicuntur frigidis
et humidis cibariis: vt cerebro: medullis: ꝑtaſone et aratorio ac ve
tuſto boue abſtinēduꝫ duces. Res acutas et fumoſas vt rafanū:
aleum: cepe: porrū in igne digeſtū vt memorie hoſtem ꝓpulſabis:
Caput et pedes cū decoctione aque in aqua meliſſa: lauri folia et fe-
niculi canne ferbuerint mundiſſimos ſeruabis. Ab īmodico coitu
pictagoreorū ſententia abſtinebis. Noxios odores cerebrū ledētes
euitabis. Aromaticas res deluti ingenio conferentes nobis gra-
tas caraſqꝫ habebimꝰ. Exercitationem nocturno crepuſculo picta
goreorum more celebratā maxīo adiumento mēorie mortaliqꝫ mē-
ti et ingenio eſſe pnoſces. Arnaldus et tiberides linguā vpupe ſu
per obliuioſum īpoſitam: memoriā reſtaurare aſſerunt. Mentis ob
tuſio ſinapi piperis caſtoꝛeiqꝫ ſternutatione: origani ſtafiſagrie ac
radicis capparis maſticatione leuatur. Cataplaſma antidotum vn
ctiones pillulas ſane mentis medicis relinquendas nō iniuria ꝓ-
hibent. Sternutamentum e felle gruis et oleo ſambaco letargicū
ſanare Conſtantinus afer auctoꝛ eſt. Gaudium moderatum mo-
derataqꝫ oblectatio memoꝛie plurimum opis affert. Democritus
Archigenes Alexander perypateticuſqꝫ Androꝛonicus plurima mē
ti conferentia monumentis litterarum tradidere: que litteris com-
mendare non grauarer: niſi induſtria et conſilio probati medici in
digere cognoſcerem.

## De vi mentis perſcrutanda.

Menti noſtre vim ingenii et diuturnam memorie tenacitatem veluti preſcriptū mentis terminū noſſe opportunum ē. Ad quē cum ventum fuerit: que firmiter impreſſa tenere cupimus: iugiter memoria repetemus. Non ē naturā artificio nec artem nature in hoc preſtare exploratiſſimum hēmus. Nā et que naturali memoria percepimus: et que arte memorie cōmēdauerimus: niſi preſcripto ſpacio repetita fuerint: ſtupa veluti et caduca excidēt.

## De locis commenticiis.

Non nihil opis commenticia etiam loca afferre vſu cōpertū eſt: ſi diſtincto ordine ſedium rōe excogitata erunt: ne fulgida ſplendeſcant: vel obſcura opacitate obtecta prorſus lateant: ſed diſtincta et clara: vt ſequenti figura euidens ē: locorū multitudinem aptam nobis prebeant. Ceterū quoniam de ordine: lege: preceptione: qualitate: inuentione: diſſimilitudine: numero: locorum impreſſione: memorie corroboratione: abolitione: exercitatione: ingenio conferentium: et cōmenticiis: locis cognitione vi mentis dicētes: ſatis huius primi libelli magnitudo creuit: commodius reliqs de rebus in ſequēti volumine dicēdum cēſuimus.

## Sequitur liber ſecundus.

Diſtincte a nobis artificialis mēoria in locū cōpoſitum et imaginē ſuperiori libro diſtributa: qua ratione loca indaganda eēnt demonſtrauit. In hoc ſecundo volumine de compoſitione dicēdum cēſuimus: vt huius etiam volumīs magnitudo ordien: vnde huic opi ſymonidis exēplo initium datum eſt: creſcat. Eſt autē compoſitio loci et imaginis vel vtrorū vis cōiugatio: vt hac prima et ſecunda figura demonſtrabitur: qua locorum et elemētorum diſpoſitione vocabula diſtincte variare poterimus: ſi litterarū loca et diſpoſitionē noſcere volemus. Vocales nāqꝫ extrinſecis centroqꝫ collocabimus. reliqꝫ vero littere varia locā ordine ſociantur: quod facile exitus dictionum complecti et claudere poſſimus. quod agilius nos facturos reor: ſi litterarum figuras reales res referentes vel earum voce verba exprimentes pernouerimus. He autē hebree grece reales inanimate et animate erūt: de quibus a realibus dicere his duobus verſibus incipiemus.

Prima tenet celum. C. centrum: medium dien. D. ſeptem. F. trio-
nes: media diuerſa ac varia finges. Argolicos enſes hyberaqꝫ te-
la. Omni re carta o fit ſibi rotunda. Omnis homo naturaliter ſe
habens nominatiui caſus. genubus flexis genitiui caſus. ſedens
datiui. Verſa facie in celuꝫ accuſatiui. proſtratus in terra vocatiui
caſus. caput contra terram et pedes contra celum verſus ablatiui
caſus ſignificabit.

Diuerſarum quoqꝫ nationum et gentilium littere veluti no-
bis et ignote figure cum plurimum mentem in recordatio-
nem excitent: grecas hic litteras ſic ſubiicere conſiliū fuit:
vt diuerſarum figurarum ratione mentem facilius leuare poſſimꝰ

## Incipit liber tertius de imaginibus.

Cum locorum coniunctimqꝫ et litterarum rationem ſu-
perioribus libris aperuerimus: reliquuꝫ eſſe videtur vt
de imaginibus hoc tertio libello diſſeramus. Simpli-
ces enim ſpiritualeſqꝫ intentiones in iſta corporea ſimi-
litudine adiuuente e memoria q̄ꝑ primum elabentur. Eaꝫ nos ima-
ginem ſignis figuris inſigniſqꝫ comoditate nobis comparabunꝰ
Eſt autem imago forme cum forma figure ſigni vel inſignii ſimili-
tudine quadam collatio. Nec ridiculi motus mirabilis geſtus tru-
cis crudeliſqꝫ vultꝰ ſtuporis triſticie et ſeueritatis plena eſſe debēt.
Vehementius enim humanos ſenſus humananqꝫ mentem ex-
tremaqꝫ media excitant. Eius retractio ſmultiplex eſt. Signum e-
nim duodecim partibus reſoluitur: quarum prima effictio dicitur.
Ea eſt cum corporis facies certis deſcribitur ſignis: vt ſic ſenez hic
artis gratia effingamus: tremulum: incuruum: gementem labiis
demiſſis in cano mento iam muſcidum naſum tergentem. Econtra-
rio leta iuncta excogitabitur: corporis noſtri pulchritudo et feditas
ſic indagabitur: vt colli longitudo capillorum digitoruꝫ et totiꝰ cor-
poris proceritas admiratōeꝫ nobis et ſtuporē preſtet. Maris oris

aurium mammillarum ventris pedūqꝫ breuitas:his ornamentū prestent. Siqua latēt meliora putes. Frontis oculorum pectorisqꝫ amplitudo et dignitas eis honestamento accedat. Vox sexui correspondeat. Collum et teretes digiti venustatez et longiora brachia dignitatem afferant. His rubicundule maxille et ora vernantia rosis:puniceaqꝫ labia addantur. Manuum pectoris colli et oris candor: supercilii oculorum:torquis et vestium nigredo: modestus incessus:preclara fama et prestans virtus his corporis bonis additur. Hinc afer poeta virginem vituperans rufam cesariē ipso ore aduncis naribus contemnit. His similibusqꝫ cōmentationibꝰ latentes rerū imagīes latētiaqꝫ signa iugi exercitatiōe nobis vēdicabimus.

## De notatione.

ACcedit secunda signi species nobis quoqꝫ notatio: qua naturales affectus in mediū afferimus. Sic eīz cuiusqꝫ etatis et aīalis cuiuslibet passiones euoluemꝰ: voracē lupū: timidas dammas timidosqꝫ lepores: capreasqꝫ fugaces: leta iuuentus tristis senectus: prodiga adolescentia: auarissime mulieres: liberales viri dicuntur. Huic rei diffinitionū rō plurimū opitulatur: nec minus poetice descriptiones. Siquis enīz famis ignoret q̄litates: hos ꝑpauculos Nasonis versus lectitet. Quesitaqꝫ famem lapidoso inuenit in agro. Vnguibꝰ et raris vellentē radicibꝫ herbas. Dura cutis ꝑ quam spectari viscera possunt. Ossa sub incuruis extabāt arida lumbis. Ventris erat pro ventre locus pendere putare. Pectus et a spine tantūmodo crate teneri. Auxerat articulos macies genuūqꝫ tumebat. Orbis et in modico prodibat tubere talis. Quod siquem famie ymago latitat: Virgilium.iiii.eneidorum: et Ouidium.viii.lectitet. Eam pedibus celerem et pernicibꝰ alis. Cui quot sunt corpore plume: tot vigiles oculi: tot lingue: totidē ora sonant: tot surrigit aures. Inuidia īfelix sic a Nasone describitur. Vt liueat rubigine dentes: viperas edat carnes. Nusq̄ recta sit oculorū acies. Risus abest: nisi quē alii fecere merendo. Sōni effigiem egregie excogitauit. Domū enīz et obscuram confecit a qua latratus omnis canum vigilqꝫ ales abest. Decursus sonusqꝫ aquarum raucus papauera et lectus ex ebeno compactus: ipsūz deūz procumbentem ad somnum incitant. Quibus rebus lex latitātia

ſigna horum exemplo excogitare et adinuenire facile poterimus.

## De ethymologia.

Ethymologie cognitio plurimum in inquirendis imaginibus et ſignis confert philippus: ſi imaginem ſuam nobis dare prebeat ethymologie: et nominis ſui ductu ſimilitudinem facile accommodabit. Grece enim phy los .i. amor et hyppos equus ductū habet: hoc eſt amator equorum. Hieronymus. ſancta lex. Jacobus colluctator interpretatur. Frons a foraminibus. oculū ab occulendo ab iniuriis ductum habere Varro aſſerit. Calamitas ab excuſſione calamorum. Mulier a mollicie. femina ab abſtruſa ſui corporis parte. Unde et femalia dicta ſunt. Vir a virtute. homo ab humo: quod etiam antiquorum theologia promethei rōe comprobat originē ducit. Pauper rebus ſuis contentus non eſt. miſer nihil hēt. Egeſtas eorum eſt qui opes ſuos ſine ratione geſſerunt. penuria quod nos pene vrat. Inops omni ope caret, econuerſo pecunioſus pecoribus. locuples locis. diues pecuniis. opulentus opibus affluit. felix fecundo ſydere natus: ad quem conſtellatione bona prouenere. beatus beatitudine et diuina prouidentia auctus. fortunatus caſu et fortuna bonis auctus. Qua de re dicere non grauarētur niſi alio libro deducto a nobis dictum eſſet.

## De onomatopeia.

Non nihil etiam ad hanc rē opis onomatopeia nobis affert idem cognitio verbi e ſono vocis ducta. Sic ennius tarātaria dixit. equi hinnitus. mugituſqꝫ boum. balantūqꝫ gregex. ſtrix nocturna et veſpertilio ſtridit. bōbitus apū. grus gruit. craſtiat coruus. In cornu voce notatur. barritus a barro. vlulant vlule. pipant accipitres: et alia que plurima ſunt vſu et conſuetudine vocis ſonitu imagines prebebunt.

## De effectu rerum.

Rerum effectus nonnunquā notare et colligere preclarum eſt: rerius ope plurima mentetenus commendare valeamus. Sic menſium nomina colligemus: vt martem bello deditū. aprili menſe omnia aperiantur pulluleant: et gemmas explicēt

flores et vites. Maius floribus redundet. Junius herbis et frondibus. Hinc Virgilius. Tunc ſomni dulces denſeqꝫ in montibus umbre: omnia nunc florent. Julius ſegetibus ornetur. Hinc Ouidius. Stabat nuda eſtas et ſpicea ſerta gerebat. Auguſto omnes adhuc fructꝰ acreſcunt. September dulces uuas dulceſqꝫ affert fructꝰ. October ſorbas et neſpulas. Nouember olea bachas: cruēteqꝫ mitte fructus colligit. Januariꝰ bifrons preterita futuraqꝫ concernit. Februarius a februo et plutone florum ver reuocat. ſic dierum nōēm exquirimus. Solis enim dies corona duodecim gēmarum notabitur vel archimiſtarum vocabulis exquiretur. Dominico enim diei aurum. lune argentum. marti ferrum. mercurio argentum viuum. ioui ſtagnum. veneri es. ſaturno plumbū applicauere.

## De ſuis cuiuſqꝫ rei inſtrumentis.

Sua cuiuſqꝫ artis arma et inſtrumenta officia et auctores diſtiguere poterunt: ut pila romanos. ſatriſſa macedones. pelta hiberos: ſic etiam cuiuſqꝫ officine arma ſuos opifices oſtendunt: ut mola ſubuncula. olera raſtri: et que his ſimilia ſunt.

## De partibus humani corporis.

Eadem actu excogitabimus: longeqꝫ melius motu pta corporis indagare poterimus. Singulas enim corporis ptes nominibus ſuis maiores noſtri dedicarunt. Pedum enim articulos ſaltu et genua miſericordie. digitos pectine iunctos dolori. caput impoſitum vel reiectum in pectus conceſſioni. in ceruicem verſum negationi. in humeris deiectum hypocriſi. terga fuge. quieti et ocio nates. capilli diuitiis. ungues crudelitati. dētes diſcordie. digitos minerue. frontem ſuperbie. aures memorie dedicarunt.

## De oppoſito.

Oppoſitum ſepenumero ad memoriam reficiendam ſpectat: Ut teſtudo pro velocitate. egrotum et valitudinarium pro bene ſano: et plurima que per yroniā proferentur: ut Nero miſericors: Hector timidus.

## De accidente et proprio.

Accidens et propriuz ſubiecto notabitur: Ut nigredo in mauro. fuſcedo ī arabis. rubedo in dalmatis. albedo in gallicis. riſibile in homine. hinnibile in equo. barritus in elephante demonſtrabitur.

## De cauſa.

Cauſe cognitio reminiſcentiam creare in nobis ſolet. Furti enim cauſam auariciam dicimus. Unde egregius vates verſibus memorie precepta complexus inquit. Cauſa vel oppoſitum ſimul inſtrumenta vel actus conſimilis facient te meminiſſe rei.

## De reſolutione.

Si imptam ſubſtātiam memorare cupis: epigrāma aut ſpecies reſoluta enodabit. Centauros enim et chimeram ſpecies nobis facile euoluent.

## De figuris.

Cum prima huius libelli pars pro ſe manifeſtuz a nobis abſoluta ſit: iam ad figuram deueniendũz putauimus. Ut enim ſignum cognitionis femina: pallore: albedine: rubedine ſeſe conſcientie indicia oſtendit: Sic figura rerum realiuz forma imaginem indicabit. Cuius ope facile carmine concluſe res aperientur. Hinc non iniuria Camillum iureconſultum omnes humanam iuris rubricas perpaucuſis verſibus complexum memorie commendaſſe accepi. Diuiſione rerum litterarum et ſyllabarũ cõuerſione. Latitantes figuras indagabimus amicos: ſic rebus ſuber nabo bona. laudabilis laudabili ī facta nemus ſumē refert litterarum. Adiunctione: coniunctione: detractione et alteri adiunctione memoria excitabitur: Ut iſtam ipſam. in ipſam enim detrahēdo prime parti et iungendo ſequenti faciemus. prima autem medi⁹ litterarũ paucitate conſcribetur ſic. Epitum vel primum aut vtrũqz verbis ſimile exquirem⁹: Ut innocentes pro ignoſcentes. Res ſenſitiua ad ſenſuz referatur: Ut viſus auditus odoratus. ꝙ ſi aſpect⁹ vel olfactus diuerſo ſenſu commutato diſtinguam: Ut ſimie capeſſe

promoſtrid. Eadem item poterit eſſe littera: lꝫ ſnia diuerſa aut va-
ria ſit: Ut non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco ui ara mali po-
mi vel naualis ligni imago ſit nihil refert. Uerba noie ſepe refe-
rentur et econuerſo: Ut dico amo. aduerbium itidem quondā. Uni
ca littera plures referre perpulchrum eſt: Ut quocūqꝫ perfoſſa ea p
te corporis locetur nomen verbūqꝫ variet. Eiuſdem nois realis fi-
gura memorie ꝗ̄ plurimum confert: maximeqꝫ ſi ita vocitetur vt
eius dictionis voce quam memorie mandare cupimus expreſſum
exitit: Ut meles ſepe. ꝙ ſi fieri nequit: ad alia diuertem⁹ equiuoca:
Ut ſiſtrum. canis pro cano ſepe arma et que his ſimilia nouerim⁹.

## De inſignijs perſonarum.

Uperest vt de quarta hui⁹ extremi voluminis pte dicam⁹.
Inſignia enim cuiuſqꝫ rei propria vocabulum exquiſituꝫ
referunt. Ea inpartita ſunt rerum .ſ. pſonarum locorum
vera et ficta dicuntur. Perſonaruꝫ ſunt hec imperatoris trigonia.
corona regis. pretoris et prefecti ſceptrum. conſulum falces et ſecu
res. ſummi pontificis thyara. cardinalium feniceus pileus. epiſco
porum mitra aurea. calcaria militarem dignitatem. aurei anuli zo
neqꝫ margarite et gemme medicum. Unde non iniuria a poeta di-
ctuꝫ arbitror. Jd Galienus eques gemmis ornatus et auro. Pla
to ſecum peditem trahit; Ariſtotelem. Colus mulierum. catella me
retricū. leo marci. aquila iohannis. vitulus luce. angelus mathei.
cathene leonardi. pectines blaſii. pellis bartholomei. claues petri.
rethia andree. cocle et galerus iacobi. porcellus lacteus antonii in
ſignia refert.

## De inſignijs locorum.

Locorum dicuntur cuiuſqꝫ loci priuata bona. hinc Uirgili
us primo georgicorum. Hic ſegetes illic veniunt felicius
vue. Arborei fetus alibi atqꝫ iniuſſa vireſcunt Gramia.
nonne vides croceos vt timolus odores: India mittit ebur molles
ſua thura ſabei. At calibes nudi ferruꝫ: viroſaqꝫ pontus. Caſtorea
eliadum. palmas epiros equarum. Sic candia zucarum. flore-
tia purpuram. valentia riſum: mittens ſuo proprioqꝫ bono denota
bitur.

## De inſigniis rerum.

Rerum inſignia ſunt enſis iuſticie: equitatis lancea: hercu-
lea claua fortitudinis: geometrice circinū: aſtrolabiū aſtro-
logie: et ea que ſupra de partibus noſtri corporis cōmēora-
uimus: vt diſcordie dentes memorie autem ac oppoſita manus fron-
ti et oculis: obliuioni digitorum et vnguium mordicatio et q̄ his ſi-
milia ſunt. Sunt nonnulla que etſi communia ſunt: tamen ſuum
auctorem ſequuntur: vt funda baleares: arcus anglicos: baliſta
hyſpanos. Sunt que ꝑ comparationē trahuntur: vt pauperior
Codro: ditior Craſſo: pulchrior Narciſo.

## De ſententia.

Reliquum eſt vt de ea memorie parte dicamus: que oratorū
propria eſt. i. de ſententiis et que eis congruunt. Eſt autem
ſnīa: non ea quam vulgus indoctorum credit: ſed ea que
plurimis conſcripta: perpaucis bene viuendi rationes explicat: in
qua genus: locus: tempus: perſona et ſententie vis diſtincte notā-
tur. Exindem rationem ſillogiſmi et argumenta ſibi vendicabunt.
Uerum hic medium vel maiorem extremitatem et minorē locis
collocabimus. Habitis enim premiſſis intellectus ex ſe infert con-
cluſionem: que non colligitur niſi ex maiori et minori extremitate.
Medium autem in propoſito cauſam concluſionis illate dicunt: in
qua virtualiter effectus includitur. Nunc iam de his que animū
oblectant: ingenium acuunt: et memorie bene ſane ſigna exprimūt
dicamus. De quibus tabulam ſupliciter depictam in mediū affe-
ram: vt facilior exitus huic operi detur: labor omnibus detrahatur:
et iocundum cum laude fructum auditores noſtri conſeq̄ valeant.

Dictio ſpiritualis eſt duplex: ſignificatiua et non ſignifica-
tiua. Spiritualis ſignificatiua eſt duplex: ſcilicet propria
et ĩpropria. Propria vt omne nomen actus vt curſus vel
ſaltus. Significatiua impropria ſicut aduerbia: vt bene et male.
Et ideo dicitur impropria: quia non ſignificat rem ſed modum rei.
Dicitur etiam incorporea dictio ſpiritualis: quia ſuum ſignificatū
non eſt corporeum. Dicitur etiam ſimplex dictio vel non ſignifica-
tiua aliqua: ſicut coniunctōes: interiectiones: et prepoſitiones. Per

ſona eſt duplex.ſ.corporea et icorporea. Corporea dicitur omne nomē rerum corporearum: vt petrus petra ferrum. Incorporea dicitur ſi-cut adiectiua et nomina officiorum et finaliter omnium accidentiū. Et dicitur incorporea: quia hodie eſt in vno et cras in alio. Vel quia non occupat dictionem diuiſam res diuiſa: dictionem compoſitam res compoſita: dictionem ſimplicem res ſimplex: tota totū: ſic vel ſic: media medium: tertia tertium: quarta quartum: et ſic conſequē-ter ſignificabit.

Ars memoratiua Jacobi
Publicij finit feliciter.





























Ignotus.
Locus.
de effectu temporũ.
dies.
menſis.
de figuris vel de litteris.

Arbor artiu


preterita
futura
hominum
notorum
nationum
notarum
ignotarum

memorie.




Arbor art memorie.